



**R.P. Leonardii Lessii E Societate Iesu Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censvris.
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 2. Vtrum Clericus non seruans in interdicto moderationem Capituli
Alma, incurrat irregularitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

CAPVT IV.

De Pœnis violentium interdictum.

D V B I V M I.

Quas pœnas incurvant Clerici violentes
Interdictum.

R Espondeo & Dico Primò : Clerici violentes Interdictum per exercitium Ordinis sacramenti, sunt irregulares. Est communis Doctorum. Ratio est : Quia omnis violatio censura per exercitium Ordinis sacramenti inducit irregularitatem. Excusat tamen ab hac irregularitate probabilis ignorantia Interdicti ; ut recte Couarruias suprà §. 2.

Dico Secundò : Per exercitium Ordinum minorum non sunt irregulares. Colligitur ex dictis suprà de suspensiōne cap. 2. Idem docet Sotus, & passim Theologi. Ratio est : quia isti actus possunt etiam à laicis fieri cum omni solemnitate, qui tamen nullam idcirco incurvunt irregularitatem. Contrarium tenet Canonista & Nauarrus ; sed alterum est verius.

Dico Tertiò : Præter irregularitatem sunt alias aliae pœnae Clericis violentibus Interdictum constituta. Primò, quod possint priuari omnibus beneficijs Ecclesiasticis : Cap. Postulatis, §. 2. de Clerico excommunicato ministrante. Secundò, possunt priuari omni iurisdictione, non tamen re ipsi sunt priuati : quod est contra Siluestrum ; ut patet ex Cap. Tanta, de Excessibus Prælatorum. Tertiò, non possunt eligi, nec postulari ad Prælaturas ; cap. 1. De postulatione Prælatorum. Quartò, Priuantur sepulturæ Ecclesiasticae : Vide Silvestrum Verbo Interdictum 6.

D V B I V M II.

Vtrum Clericus non seruans in Interdicto moderationem Capituli Alma, incurrat irregularitatem ?

VT si celebret cum pulsu campanarum, aperteque ianuis ? Respondet Couarr. §. 4. num. 6. Incurrere irregularitatem, si aliquis interficit officio diuino, qui Iure prohibetur. Verum contraria sententia est probabilis, quia non est Iure expressum, sed solum à Doctoribus per quandam rationis similitudinem colligitur.

CAPVT V.
De Absolutione & Suspensione
Interdicti ?

NOrandum est : Interdictum posse dupliciter ferri. Primò, absolutè : Secundo, ad tempus. Hoc per se definit tempore illo transacto, vel actione requisita praestata. Illud solum tollitur absolutione.

D V B I V M I.

A quo tollitur Interdictum absolutè latum,
& quomodo ?

REspondeo & Dico Primò : Interdictum latum ab homine, tollitur ab eodem, vel ab

cius successore, vel superiore; non autem ab alio, Si latum ab homine, ne disciplina perturbetur.

Dico Secundò : Si sit latum à Iure, & non sit reseratum, potest tolli ab Ordinario, & à Reguläribus habentibus priuilegium.

Dico Tertiò : In Iure non est certa forma relaxandi Interdictum ; sed sufficit intentio relaxantis quibusvis verbis expressa : ita communiter DD. Debet autem hæc intentio aliquibus verbis vel signis exprimi. Quia sicuti nemo potest per solum actum internum interdicari, ita nec absoluari.

Dico Quartò : Interdictum generale, quando Ad caeruleum dubium est, non potest tolli ad cautelam ; nempe ab eo, qui est Papæ inferior : sed, idoneâ cautione acceptâ, debet tolli absolute, ut patet Cap. Presenti, de sententia excommunicationis in 6. Quod intellige de Interdicto generali loci : nam Interdictum generale personale potest in singulis personis ad cautelam tolli. Vide Couarr. §. 2. num. 5.

D V B I V M II.

Quomodo suspendatur Interdictum ?

REspondeo & Dico Primò : Interdictum locale suspendi potest, etiam si eius causa permaneat, ut pater ex Cap. Dilectis, de Appellationibus : & est communior sententia Doctorum.

Dico Secundò : Interdictum latum in certam personam similiter suspendi potest : Couarr. §. 2. num. 4. Ratio est, quia potest tolli omnino : ergo etiam ad tempus suspendi.

Dices : Excommunicatione non potest suspendi : ergo nec Interdictum.

Respondeo, Negando Antecedens : Nam cum quis absoluitur ad reincidentiam, videtur Excommunicatione ad certum tempus suspendi, reditura quoad effectus, nisi mandatis pareatur. Hoc solum est discriminis, quod excommunicatione non possit communice suspensi secundum unum effectum, quin suspendatur secundum omnes : nam ius non patitur effectus excommunicationis diuidi, manente censura. Suspensio autem & Interdictum habent effectus, qui non necessarij coniunguntur : unde haec censura possunt suspendi secundum unum effectum, sic tamen, ut secundum alios ligent. Convenientia, & distinctione excommunicationis & suspensionis & interdicti quo ad suspensio-

Hoc tamen Aduertendum est : si Interdictum non sit suspensum secundum omnes suos effectus, sed vim habeat vel secundum unum effectum, appellatione interpositam fore nullam : v. g. Petrus simpliciter est interdictus, obtinet ab Episcopo, ut ad octiduum interdictum suspendatur

quoad officia diuina, non autem quoad sacramenta : si interim appellat à sententia Interdicti, appellatio erit nulla. Causa est : nam tota ratio, in qua Doctores fundant valorem appellationis factæ eo tempore, quo sententia manet suspensa, est, quia suspensa sententia equiparatur sententie conditionate, cuius conditio nondum est completa. A sententia autem conditionali licet appellare, quia nondum constringit. Atqui cum Interdictum habet aliquem effectum coniunctum, non equiparatur sententia conditionali, sed absolute quoad illum effectum. Unde appellatio interposita in aliquo festorum, quibus licet celebrare officium diuinum, non valet : quia Interdictum non est tunc suspensum quo ad Sacra menta. Cetera quæ hæc dici possent vide apud Couarr. in Capitul. Alma par. 2. §. 2. num. 1, & 6. & §. 4.

DE